

41

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
LVD. HENRICVS
LEO HILCHEN,
MED. D. ET PROFESSOR PVBL. ORDIN.
VNA CVM VNIVERSO
SENATV ACADEMICO
LECTIO

PER INSTANS SEMESTRE HIBERNVM
A SINGVLIS OMNIUM FACVLTATVM
PROFESSORIBVS
CVM PVBLICE TVM PRIVATIM HABENDAS
GENERE, VIRTUTE, AC DOCTRINA FLOREN-
TISSIMIS
ALMAE GIESSEN-
INDICIT ATQVE SENATV COMMENDAT.
DIE XVIII. SEPT. M DCC XXXX.
SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

GIESSAE,
TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.

In Facultate Theologica.

IO. GEORG. LIEBKNECHT,


*SS. Theol. D. eiusdem P. P. O. Superintendens, Consistorialis,
& Stipend. Princip. Ephor.*

Lectiones *publicas* hor. XI, - XII, in catalogo indicatas, omni
cura continuabit; & *privatarum* in THEOLOGIAM MO-
RALEM, tunc quidem feliciter coeptarum, sed praeter spem
impeditarum loco, suam in lectionibus *biblicis* & in quacun-
que parte theologica operam & industriam promittens, Hor.
III-IV, vel *Historiam V. T. ecclesiasticam*, vel *Theologiam casualem*,
ad B. Doct. BECHMANNI aut FECHTII instructionem Pa-
storalem, exercitatoribus animis insinuabit.

REINH. HENR ROLLIVS, D.

*Prof. Theol. Ord. Consist. Eccles. Assessor, ac Distr. Alsfeld,
Superint. Facult. Theol. h. t. Decanus.*

Absoluta, superiore semestri, *Lectioibus publicis* hora deci-
ma *Historia Theologiae Dogmaticae & Symbolicae* literaria,
ad reliquas partes sese accinger, alternisque vicibus in lucu-
lentam D. IAEGERI tractationem *de foedere gratiae*, sub se-
ptem veteris & novi testamenti periodis, commentabitur.
Hora vero *quarta* diebus *Mercurii* & *Jovis* exercitium disputa-
torium in SYLLOGEN CONTROVERSIARVM FECH-
TIANAM instituet. *Privatim* hora *octava* quae in AVGV-
STANA CONFESIONE eiusque APOLOGIA super sunt
explicanda, eadem, qua coepit, methodo absoluet, dehinc
vel



vel ad *Articulos Smalcaldicos* progressurus, vel *notitiam haeresium*, ad ductum RECHENBERGII in Appendice librorum Symbolicorum tripartita, propinaturus.

IO. HERMANNVS BENNER,

SS. Theol. Prof. ord. & Paedagogiarcha.

Publicis horis, *epistola ad Titum*, & quibusdam praeterea, per aestatem absolutis, alium dicavit sacri codicis librum, in quo studium *criticum, exegeticum & homileticum* occupetur. Priuatim *dogmaticae theologiae partem tertiam* absoluet, potiores *controuersias* haud neglecturus. *Iurisprudentiam diuinam*, itemque *prudentiam christianam*, & nominatim *pastoralem*, singulari ac destinata opera explicare conabitur. Disputationibus publicis ac priuatis materiam offert; nihil omissurus eorum, quae ad rem academicam qualicumque studio iuandam, conducere videbuntur. *Vires & successum Deus annuat.*

ERN. FRIDER. NEVBAVER,

SS. Theol. D. eiusque Prof. publ. extraord.

Praelectionibus publicis consecrauit auream S. Paulli ad Romanos epistolam, quae, dicente LVTHERO, *clavis est totius Scripturae, spiritualium opum thesaurus & opulentissimum quoddam cornu copiae*, quamque dignam idem beatus vir existimauit, quae non modo ab omnibus christianis imbibatur a teneris, ediscaturque ad verbum, sed & quae assidua & perpetua meditatione, ceu ruminata & concocta, haud aliter atque probe digestus cibus, in intima animi viscera traiciatur. Priuatim pro desiderio Dn. Auditorum vel collegium aperiet *hermeneuticum*

1811

ad ductum *institutionum hermeneutices sacrae* b. RAMBACHII, vel *historiam novi test. ecclesiasticam*, vel alias sanctioris scientiae partes docebit.

In Facultate Juridica.

D. JO. FRIED. KAYSER,

J. V. D. & P. P. O. & Prim.

PER instans semestre brumale de nouo *Collegium Juris publici*, ad ductum CASP. HENR. HORNII, aperiet, & quantum per *Lectiones priuatissimas* aliasque occupationes licebit, etiam in aliis *Jurisprudentiae* partibus, pro desiderio Dn. Dn. *Commilitonum*, studia eorum promouere non desistet.

D. JOH. FRIED. WAHL,

P. P. O.

PUBLICe doctrinam de *processu iudiciario* ad seriem decretalium illustrabit, eaque absoluta, praelectiones ad reliquos decretalium titulos, nec non ad *Pandectas*, tam *privatas*, quam *priuatissimas*, ad finem perducet: in novis vero Collegiis aperiendis, desiderio Dnn. *Commilitonum* se adcommodabit.

HENR. CHR. SENCKENBERG,

Serenissimi in Regimine, ut & diuersorum Principum ac Statuum Consiliarius ac Prof. Publ. Ord.

PVblice praeleget *Institutiones*. Priuatim 1) *Processum Juris uniuersi*, hora XI. 2) *Jus Germanicum* ad ductum Thesium a se editarum. 3) *Jus Publicum Imperii Germanici*, ad positiones calamo dandas. Addet ea, *ex omni Jure*, quae votis *Dominorum Commilitonum* expeti sentiet.

JOH.



JOH. HARTHMUTH RAYS,

Jur. Utr. Dr. & Prof. Publ. Ord.

Publice STRYKII *Examen Juris feudalis* præleget: Privatim vero novum *ad Institutiones Juris Civilis*, & *ad Pandectas* duplicatis horis auspicabitur Collegium. Adhæc etiam, ne omissis initiis, atque illotis, ut ajunt, manibus ad Jurisprudentiam accedant novi Justiniani, *Historiam Juris tam Romani quam Germanici* Autorem BRUNQUELL. secuturus docebit.

ERN. CHRISTOPH. ARNOLDI,

Prof. Juris Extraord. & Facultatis Juridica Assessor.

Publice Notitiam Statuum Europæorum, inprimis Imperii nostri tradet. In privatis scholis commentabitur ad Institutiones Juris Civilis, & absoluto Collegio ff. novum ad Compendium Lauterbachianum intra semestre spatium absolvendum aggredietur, simulque Juris publici disciplinam ad ductum SCHWEDERI sive alterius Doctoris, ut & Juris feudalis ad ductum examinis B. SAM. STRYKII explicabit, aliæque pro desiderio Dnn. Auditorum inchoabit, in quibus ita versabitur, ut & desiderio Nobiliff. Dnn. Auditorum & eorundem se captui accommodet.

In Facultate Medica.

D. JOH. CASIMIR HERTIUS,

P. P. O.

Publice Anatomicis operam dabit, quoad partem ex iis illustrandam Dnn. Commilitonum desiderio se accommoda-

daturus : Privatim de vulneribus lethalibus aget, WETSCHII ductum, in Libello de hoc argumento secuturos, aut si ita placuerit ordinem quoque & methodum dissecandi corporis humani musculos tradet,

LUD. HENR. LEO HILCHEN,

Facult. Medicæ hodie Decanus,

Methodum tuendi ac restituendi sanitatem, illam hora pomerid. II, hanc, hora ante meridiana XI, docebit : artem vero præscribendi formulas medicas, dierum Mercurii & Saturni hora IX tradet : nec alia desiderantibus defuturus.

D. GERARDUS TABOR,

P. P. O.

Quamprimum Patriæ, Academiaeque restitutus fuerit, officio suo cum publice, tum priuatim pro virili satisfaciet.

In Facultate Philosophica.

**CHRISTOPH. FRIDERICVS
AYRMANNVS,**

Histor. & Philos. Prof. pr. ac Bibliothecar. Acad.

Historiam litterariam ductu *Conspectus Heumanniani*, nuper promissam, sed vix ab uno alteroue expetitam, ab hora II. ad III. gratis praeleget. Privatim post absolutam nouissime Historiam Germanicam, *Historiam uniuersalem & particularem* tradet, dummodo non omnia opera gratis præstanda sit.

Pri-

Priuatissime ab hora IX. ad X. antemerid. *Caesaris* Commentarios de Bello Gall. explanare selectis Auditoribus perget. Denique ad ventilandas publice *Dissertationes* varias, pridem a se conscriptas, efflagitat aliquos, qui respondentium vices sustineant, nullum ab ipsis pro praesidio praemium requisiturus, imo & reliquos sumtus moderaturus.

IAC. FRID. MULLER, Ph. P.

Divina opitulante gratia publice iterum docebit Logicam, & septimo singularum septimanarum die suos exercebit Auditores in regularum applicatione. Priuatim docebit Ontologiam, Psychologiam & Theologiam naturalem, expositurus quoque Pufendorffium de Off. H. & C. vel Grotium de Iure belli & pacis, vel in gratiam eorum, qui graeci sermonis studium cum studio Ethicae coniungere volunt, Theophrasti *Χαρακτηριστὴν ἠθικῶν*. Pater Luminum sit cum docente & discipulis!

IOH. LYDOVICVS ALEFELD,

Philos. naturalis Prof. ord.

IN lectionibus publicis partem *Physices speciales* fusius pertractabit, idque aget potissimum, ut eorum, quae quotidie obuia sunt, phaenomenorum naturalium rationes causasque genuinas solide perdiscant auditores: Priuata etiam industria tam in hac ipsa, quam aliis, quas huc usque tradere solitus fuit, disciplinis philosophicis studiosorum commoda promouere non intermitter.

D.

D. ERNEST. FRID. NEUBAVER.

Antiqq. nec non sacrar. & orientis lingg. Prof. ordin.

Quam necessaria sint ad interpretandam scripturam solidà *græcae* linguae principia, publice suis in epistolam ad Romanos commentationibus vbique commonstrabit. Priuatim collegium *philologico - critico - grammaticum* in *Pentateuchum* Mosaicum instituet, neque alias muneris sui partes intactas relinquet, si diligentes gratosque auditores nanciscatur.

CHRIST. LVDOV. GERSTEN,

Math. Pr. O. & R. S. Lond. Sod.

Publice Chronologiam & Geographiam tractabit. In priuatis & priuatissimis lectionibus sedulo perget, & si iustus aderit Auditorum numerus, de nouo omnium scientiarum Mathematicarum cursum auspicabitur.

CHRISTOPH. LVD. RVDIGER.

Non sicut canis e Nilo limpida Jur. Nat. dogmata duce ill. *Puffendorffio* imbibimus, operae proin pretium erit, per instantem brumam, ibi vbi stetimus pergere & totius systematis oracula ad colophonem deducere; eorum vero in gratiam, qui & exordiri & finire semestrali hoc spatio praecepta haecce gestiunt vtilissima, duas per diem horas impendet. Nec in Politicis, heroica, morali vel rationali Philosophia tradenda, industriam suam desiderari patietur.

Habebunt etiam *Generosi & Nobilissimi Cines* occasionem in arte equestri, in ludo palæstra, in arte commode & perite saltandi, nec non in linguis exoticis, Gallica, Italica, apud exercitiorum istorum & linguarum magistros, publica auctoritate constitutos, admodum idoneos proficiendi.